



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IV. Iustum bellum esse oportet, & ab eo, qui ius bellandi habet, indici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

conset praeceptum, vixnulli malum pro malo reddere debeamus, & percutienti aliam praeberet maxillam, & pallium dare persisteret tunicam tollere, & cum eo qui nos angariare voluerit, ire debere spacio itineris duplicato: quae omnia Reipublice moribus asserit esse contraria: Nam quis tolli sibi ab hoste aliquid patitur, vel Romanae provinciae depredatori non mala velit belli iure reponere: & cetera quae dici ad rem posse, intelligat venerabilitas tua. Respondet S. Augustinus. Epist. 5. Primo quidem; Reipubl. vtilem esse clementiam, quae inimicis ignoscitur, sic enim ex parua & inopi magnam esse faciam, & opulentiam, quod civitas accepta injuria ignoscere, quam persequi maluerunt. Cicero quoque; Caesari adulatundixisse, cum nihil obliuisci, nisi injurias solere. Secundo. Vincendum in bono malum cum ad penitentiam deducitur victus, non viribus saevientis, sed benevolentia patientis. Itaque faciendum, cum videtur ei profuturum, propter quem fit, idque eo animo faciendum, etsi alius exitus sequatur. Tertio. Curandum, ne vindictae cupiditate auferatur patientia, quae melior est omni eo, quod iniuria potest auferre inimicus. Quarto. Illa praecepta magis ad preparationem cordis, quae intus est, pertinere, quam ad opus, quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis videtur prodesse posse, quibus bene velle debemus. Addit nec Christum praebuisse alteram, nec Paulum, sed insuper increpasse iniquum iudicem. Sunt ergo ista praecepta patientiae semper in cordis preparatione retinenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda. Ne vero putes Augustinum sophistice benevolentiam in voluntate, in opere vero crudelitatem probare. Clarissime ostendit manente patientia, sine cupiditate vindictae, imò preparatione patiendi cum benevolentia corrigi alios posse, & bella geri. Agenda sunt, inquit, autem multa etiam cum iniuriis benigna quadam asperitate plerendum, quorum potius utilitati consulendum est, quam voluntati, quod in Principe civitatis luculentissime illorum litera laudaverunt. Nam in corripiendo filio quam libet asperere, nunquam profecto amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit, & dolere, qui etiam iniuriis videtur dolore sanandus. Asper hoc sit terrena ista Reipubl. praecepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerantur, ut ad pietatis, iustitiaeque pacatam societatem victis facilius consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quae penalis nutritur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboratur. Principem quidem ajunt omnia bona hostibus optare posse, praeter bonam mentem: omnia enim bona si mala mens sit, inimica fiunt. Ego vel precipue bonam mentem optari velim hostibus, ea enim si praediti sunt, amici erunt, nisi sint jure hostes. Itaque illa praecepta mansuetudinis Christianae, nec iudici manus ligant; ne in maleficos animaduertat, nec Principi, ne hostem perimat, sed hoc monet ne publice, nec priuatim, ira, odio, ultionis dulcedine saeviamus, aduersa patiamur, & si patientia nostra utilis est inuasori, eam corde, & opere teneamus, si nostra patientia ad maiorem injuriam ille irritatur: corde benevolentiam teneamus, opere medicinam asperiores admoveamus, quemadmodum pater tam castigans, quam indulgens amore retinet. Suum cuique jus manet, cedere Christianus in propria solet, in publica Princeps, interdum cedere consuevit, interdum opponere omnes vires regni, cum illud necessarium iudicat. Nec mirum est hanc animi lenitatem regi a nobis, cum nec ciuitas, nec castra consistere possint, nisi multa multi condonent ciuibus & commilitonibus. Sed & in certamine atque ardore praelij ratio, non ira dominari debet, ita ipsi gentiles imperij Rectores decreuerunt. Senec. l. 1. de ira. c. 11. Quid enim est aliud, quam Barbaros tanto robustiores corporibus, tanto patientiores laborum comminuat, nisi ira infestissima sibi?

gladiatoria quoque, ars tuetur, ira denudat. Deinde quid opus est ira, cum idem perficiat ratio: an tu putas venatorem irasci feris, vel cum & fugientes persequitur, & tremantes excipit? omnia illa sine ira facit ratio. Quid Cimbrorum, Theutonorumque tot millia superflua Alpibus ita suffulit, ut tante cladis notitiam ad suos non nuncius, sed fama pertulerit, nisi quod erat illis ira pro virtute? quae ut aliquando perculit, strauitque, obuia, ita saepius sibi exitio est. Germanis quid est animosius? quid ad incursum acius? quid armorum cupidius? quibus innascuntur, innutrienturque: quorum unica illis cura est, in alia negligentibus? Quid induratus ad omnem patientiam, ut quibus magna ex parte non tegumenta corporum, praesa sunt, non suffugia ad perpetuum caeli rigorem. Hos tamen Hispani, Galli, & Asia, Syriaque, molles bello viri, antequam legio visatur, cadunt: ob nullam rem aliam, quam ob iracundiam. Eam ob causam id quoque periculosum est, pugnantibus potionem miscere, quo mente quodammodo alienentur, ne pericula sua sentiant. Turcae opio vtuntur, quod allucis furorem aliquem concitat, quod tamen perniciosum est, cum ad curandum, accipiendumque imperium minus idonei sint, quos rabies, non ratio ducit. Bellum ergo geret Princeps animosus; cum latrone enim armis, non decretis agendum est. Milites sunt virium munimenta, & nerui regnorum, sine arte militari quicquid acquiritur, ad hostem pertinet: quia defendi non potest. Cicero pro Murena id satis ostendit. Rei militaris virtus praestat ceteris omnibus: hac nomen populo Romano, hac huic urbi aeternam gloriam peperit: hac orbem terrarum parere huic imperio coegit: omnes urbanae res, omnia hac praecleara nostra studia, & hac forensis laus & industria latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis: simul atque increpuit suspicio tumultus, artes illico nostra conticescunt, quod sit ita est, cedit, opinor, forum castris, otium militiae, stylus gladio, umbra soli: sit denique in ciuitate ea prima res, propter quam ipsa ciuitas est omnium Princeps. Quam cordi fuerit res militaris fortibus viris, & amantibus Reipubl. docet David ipse, qui triginta fortes, praeter exercitus habuit. Oraculum diuinum est, nisi militiam colant Reges, regna interitura. Auferam sortem, & virum bellatorem, iudicem Prophetam, & effeminati dominabuntur eis, & corruet populus. Itaque cum Principes imbelles plures sibi succedunt, aut vnus effeminatus acres habet aduersarios, diu stare Reipubl. non potest. Signum etiam est pessime Reipubl. constitutam, si in ea sit neglecta ratio militaris, ubi enim non sunt bonae leges, bona arma esse non possunt. Reitaque militaris cura Principi necessaria est, omnis regio peragrandi, montes, flumina, urbes, portus considerandi; nam inermis inter armatos tutus esse non potest, inermem omnes infestant, armatum metuunt.

CAPVT IV.

Iustum bellum esse oportet, & ab eo, qui ius bellandi habet, indicti.

§. 1. Sanctus Thom. 2. 2. q. 40. art. 1. Tres conditiones requirit, ut bellum sit iustum. Prima est, ut sit legitima Principis auctoritas; altera, ut iusta sit causa, quae ad bellum impellit. Tertia ut iusta sit intentio. Quas ego quaestiones ordine disputabo.

§. 2. Cum Principum varia sit potestas; alij superiorem nullum habent, alij ita mittuntur a Regibus, ut prouincias gubernent, ut tamen rem bellicam non attingant, merito quaeritur in cuius potestate sit bellum decernere?

Constat autem belli indicendi ius in ipsa Reipubl. quae perfecta est, nec ab alio superiore Magistratu ius accipit, residere. Respublica enim perfecta est, quae sibi sufficiens est, seu a vtriusque, ut tueri se abique aliena auctoritate possit; ad hoc autem necessarium est, ut arma inferre possit, cum alio modo ius obtinere non

Perfecta Respublica bellum indicere potest.

Rr potest.

Hostium utilitati seruandum in bello.

Ratione non ira bellandum.

potest. Cum n. Romani impetuntur à Vejentib. assiduís, & annuierarijs hostib. cum Falisci, & Fidenates impetum faciunt, cum contra Samnites socij opem implorant, cum Tarentini aduenis insultant, legatos violant, cum Picentes hostium focios domare placuit, opus erat, qui decerneret bellandum esse. Neq; enim ferri injuriæ illæ debuerunt, ne prorsus Respublica amitteretur.

Respubl. la-
sa index est.

Jus autem belli in perfecta Rep. esse, ex eo docetur, q. læsa repetundarum agere, satisfactionemque exigere, potest: Priuati judicem adeunt, hic nemo judex, nisi pars læsa, quæ idem superior est, quia qui injuriam intulerunt, hoc ipso obnoxij sunt læsis, crimine enim suo effecerant, vt judicium subire debeant. Quemadmodum enim priuatus cum in alieno territorio crimen admittit, judici subditur, in cuius provincia peccauit; ita quoque cum Reipub. damnum inferitur, ipsa injuriosos judicare potest, itaq; in alios bellum decernit, & boni communis impedimenta remouet. Cum autem bellum sit actus *vis & iniuriæ*, iustitiæ vindicatricis, eoq; ad magistratum pertineat, constat omnino judicem illius, qui injuriam fecit, esse eum, qui passus est. Alio qui nullus judex, nullum iustitiæ præsidium ille habere.

Ius belli pe-
nes Reges
fere est.

§. 3. Reges ordinariè jus belli gerendi habent, & Senatus siue summum consilium. Interdum tamen eà potestate regni legibus carent, & forte id expedit: ne velox Regum indignatio, bella pœnitenda, & populo luenda suscipiat. Reges primi Romæ ex auctoritate senatus bellum suscipiebant, postea eadem potestate senatus vsus est, donec fatigati continuis laboribus res ad populum deuoluta. Inuitus n. decreuit bellum suo periculo tolerandum. Spartiata q. pessime Remp. suam teste Aristotele, & Xenephonte instituerunt, q. ferè ad vnicam rem attenderunt, nempe bellum, Regibus suis jus inferendi belli cuiusq; concesserunt, neq; vlli jus intercedendi, aut phibendi fuit. Quæ res eos in magnas calamitates coniecit, dum solo vnus arbitrio bella concitant. Melius Romulus, Regesq; consecuti ad Patres, ad populum, aliquando rerulerunt. Tarquinius Superbus ad se reuocauit omnia, itemq; Julius, & Augustus, q. vt iure facere viderentur, legem obtinuerunt, de qua Strabo lib. 15. q. vocant legem regiam, sanè vt bellum tardius decernatur, præstat requiri multorum consensum. Ego tamen leges eas sic temperandas censeo, vt aliquando concedatur, aliquando negetur illud jus regi: concedatur in subitis casibus, & cum periculum est in morâ, negetur cum tempus deliberandi sine periculo dari potest.

Princeps q.
sub alio est,
defendere se
potest.

§. 4. Principes qui superiorem agnoscunt, itemq; Respubl. ab alio dependentes bellum defensuum suis auspicijs, absq; supremi Magistratus licentia gerere possunt. Non enim minus juris habet se, ciuesq; suos defendendi, quam quiuis priuatus: at quisq; se contra inuasorem armare, vim vi depellere potest.

Inferre bel-
lum non
potest, nec
socio Prin-
cipi.

§. 5. Princeps qui sub alio Principe maiore est, vel Respub. quæ alij paret, bellum offensuum prior alteri ordinariè indicare nō potest. Fieri hoc potest duobus modis, velenim alteri Principi ejusdem Reip. membro, vel extero bellum indicet: Principi q. ejusdem Reip. ciuis est, non potest bellum indicare, quia vterq; judicem habet, q. rem disceptet. Quemadmodum igitur ciues, non vi, & armata manu, sed iure res repetunt, ita nobiles, comites, duces oportet de controuersijs audire supremum judicem. Alioqui tota Respub. conturbaretur, & fortior opprimeret imbecillior. Martianus Jurisconf. respondit ad Legem Iul. majest. Teneri maiestatis lege, eum qui iniussu Principis bellum gesserit, delectum habuerit, exercitum comparari.

§. 6. Neq; externo Principi inferre bellum potest Princeps, si supremus magistratus non consensit, q. uis

id facilius concedi possit. Nam si externus absolutus est, nec vllum superiorem agnoscit, non potest eum ad sui regis tribunal citare, quem ille non agnoscit. si externus Princeps etiam dominum habet, apud eum accusari, & per eum ad satisfaciendum potest cogi; q. si ille nolit, ne sic quidem Princeps sub alio constitutus, bello aduersarium sine consensu Regis sui petere potest. Ratio petenda est ex ipsa membrorum Reip. inter se vnione & ordine, q. vetat membrum aliquod absq; consensu & voluntate totius moueri: Quanta enim damna, quamq; atrocia bella inde orirentur, si Princeps aliquis Galliæ, Principi Hispaniæ bellum inferret: nonne continuo tota regna concuterentur? Carolus Audax bellum Gallo indixit, & totum commouit imperium. Magna pars bellorum ex priuatis litibus, & iniurijs ortum habuit. Deinde etiam regnis magnis periculosum est, vnum aliquem Principem externos bello persequi, militem habere, exercere arma, faciliè in vicinos armatur, qui bellis assuevit.

§. 7. Ordinariam potestatem negauit, extraordinaria concedo. Extraordinaria duplex. Prima quum illæ circumstantiæ sunt, vt nisi anticipetur bellum, in magno sint omnes periculo. Deinde cum longe abest Princeps superior, & causa occasioq; frequenter concurrunt, nec consuli Rex potest, tum enim jus indicendi, & gerendi belli inferioribus committere solet. Hæc posterior ratio nullam difficultatem habet; Penes inferiorem enim arbitrium belli & pacis est, ex commissione superioris. Hac ratione Prætores Indiarum bellum gerere possunt, sociosque defendere, communi lege & potestate officij, quod gerunt. De priore modo est difficultas, nam facultatem belli offensiui negant Iurisconsulti, & Theologi. Verum ego certum statum excipio; nempe cum ea est rerum conditio, vt præuertendus sit hostis: Abigunt prædam & causam belli dant hostes Turcæ, Dux cuiuslibet commissus, repetit res, irridetur, interim offertur insignis occasio alicuius vrbis occupandæ, quæ magnum momentum ad bellum adfert, quæque in hostium manens potestate, quia in ea arma sunt, & opes, in magnum periculum adducere potest Christianos. Hunc dico rectè facturum, si occasione vta-
tur; nam ad sui defensionem necessaria hæc est offensio, aut sanè vtilissima. Ad inculpatæ tutelæ defensionem priuatus etiam, dum in latrones incidit, cum videt aliqui pereundum, potest, si videt opportunitum, anteuertere.

§. 8. Contra hostes internos multis Principibus, vrbibusq; data est potestas bellum gerere absq; superioris mandato, & scientia. Sunt n. illi subditi, quos coercere magistratus potest & debet: Primo quidem legibus & pœnis legum, quod si potentiores sint, q. vt legibus teneri queant, bello sunt domandi. Deinde quia plus est in his periculi, nisi celeriter compescantur, denique hac ratione hostis externus non irritatur, si suos Magistratus compescat subditos, sed magis, si seditio inualescat. Magistratus autem particulares, si cum supremo conferantur, quasi priuati censentur, si cum subditis Magistratus sunt, ac gladium gestant, non in omnes, sed in eos qui subditi sunt.

§. 9. Si duo Principes inter se contendant, Rex v. iustitiam negligat, injuriam passo non subueniat, sed opprimi sinat, multi putant, ne sic quidem bellum posse suscipi ab oppressis, sed tolerandum esse injuriam, quod absq; dubio graue est; cum subditorum corpora ac res vexantur, agunturque, cum exui sic omnibus bonis atq; adeo vita possit Princeps. Ego aliter sentio; si atrocem injuriam Principi, qui sub Imperatore est, inferat Princeps externus, nec iustitiā administret Imperator, nec alius quispiam, posse bellum offensuum geri. Ratio mihi quidem euidenter vide-
tur.

tur: Tunc licet gerere bellum offensuum, quando sine eo non potest Princeps, aut pars Reipublice defendi, quæ gerit bellum: At sine hoc bello Princeps aut pars Reipublice non potest defendi. Exemplum est in Julio, Juliano, alijs, qui quidem belligerendi potestatem habuerunt, sed tamen ei, qui non habet, in simili fortuna res ipsa dat. Rhenum singulis annis Germani transibant, provinciam infestam habebant, defendere tantum sua paruum erat præsidium, nec pro dignitate imperij, nec pro subditorum incoluntate; semper enim antequam recederent, magnis damnis affectam relinquebant provinciam; itaque Romani Rheno transito inuicem eorum turgia vrebant, cæde & vinculis sæuebant. Valdè enim hostes insolescunt, cum repellere tantummodo vident, domi esse sine periculo. Quemadmodum igitur priuatus, cui jus negatur, potest alia compensatione damnum sarcire, ita quoque Princeps facere potest, imò meliore jure; quia populi defensio illi incumbit.

Principes sub vno Rege bellare non possunt

§. 10. Olim in Romano imperio tam vasto, ac potenti, non licuit vlli Principi, aut Regi subdito contra alios bellum gerere, nedum præfectis & proconsulibus, contra Collegas, cum quæ id fieret, ciuile & nefarium bellum censebatur; at neq; hoc tempore, vel in regno Gallia, vel Hispania permittitur, meritoque puniti sunt in Occidente Pizari, qui tumultus & ciuilia bella inceperunt. Nunc verò in Germania sæpè inter se bella Principes gerunt, & olim gesserunt, ad eò vt contendat quidam licitum esse Principibus Germaniæ sine consensu Cæsaris bellum indicere collegis. Quæ de re sic statuo. Illam potestatem, si est data Principibus, perniciosam esse. Nam perinde est, ac si in corporis exiguis morbis, ante fomenta, & faciles medicorum operas ferrum, & ignis admoveatur. Deinde jus illud concessum, exercitum, Principes, & ciuitates exhaurit, dum contra vicinos omnes se muniunt. Signum verò est, Imperatorem satis potentem non esse, vt controuersias decidere ac sedare possit. Quanta verò damna inde exorta sint, experientia docet, & explicat FERDINANDVS Imperator Anno 1564. in Comitij Wormatiensibus. Verum de potestate belligerandi, quæ Principum esse putatur, contra Collegas audire constitutiones imperij præstat. Aurea Bulla CAROLI QUARTI: Incendia, spolia, rapinas prohibet, quæ fieri solent post diffidationem, nisi tres dies ante in loco consueto diffidatio fuerit significata; est autem diffidatio amicitia renuntiatio, discessioque. FREDERICVS III. pari modo statuit, Anno 1442. ne quis damnum alteri inferat, nisi prius ad æquum, iustum, & iustum ius citarit, queritur verò Fredericus ingentia damna huius legis violatione imperio allata. Clarior verò est. Anno 1495. facta constitutio Maximiliani, seu totius imperij, nam fuisse eo in loco Principum plurimè. Eas leges hic ponere libuit, vt intelligamus, quid Principibus imperij Germanici concessum sit.

Lex prima ita habet.

MANDATVM DE PACE seruanda.

Nullo licet bellum inferre alteri

VT ab huius denunciationis tempore, nullus, cuiuscumq; dignitatis, status aut conditionis tandem sit, aduersus alium hostilia exercere, bella mouere, alium spoliare, capere, inuadere, aut obsidere annitatur: idque nec per se, nec per alium suo nomine suppetias ferendo, vel vllam arcem, oppidum, castrum, munitiones, pagos, villas, territoria abstrahendo, aut vicinæ alterius consensum adimendo, incendiis, & similibus nocendo. Neq; vllus huius transgressoribus consilium vel auxilium adsit, domo excipiat, annonam subleuet, toleretne. Quod si conuenire eos quis velit, id non nisi in iis locis & iudiciis fiat, vbi causa, aut antehac, aut modo in camera ordinatione decisa sunt aut decidenda.

ABOLITIO OMNIS HOSTILITATIS.

Quamobrem omnem publicam hostilitatem per vniuersam imperium regia potestate, & vi huius edicti iussimus.

PœNA PACIS PERTVRBATORVM.

Asi quisquam cuiuscumq; dignitatis aut status, contra vnum plurave præcedente articulo memorata egerit, vel saltem agere præsumpserit, ipso iure præter alias pœnas nostro & imperiali banno subiacet, quem & hoc ipso nostro & imperiali proscriptione ferimus, ita vt vitam fortunamq; illius omnibus & singulis communes faciamus, nec vllus temerarium quid eas sibi vendicando sic attentatur: quin & omnes syngraphæ, obligationes fœderag, illius, quibus fretus, omnem ex parte illius vim & valorem deperdent. Feuda etiam, quantalibet illa sint in proprietarium refundentur, illaq; nec tota, nec illorum partem quoad transgressor superuerit, vel illi, vel heredibus conferre, vel fructuum participationem indulgere proprietarius teneatur.

Proferri bitur Collegarum perturbator.

SI TRANSGRESSORES OCCVLTII, ET quispiam suspectus sit.

Quod si etiam Electores, Principes, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, Vrbes, aut alius quicunque cuiuscumq; status, dignitatis aut conditionis sit, seu Ecclesiasticus, seu Secularis, eorumq; subiecti & conuincti aduersus pacem hanc damni quid passus fuerint, nec transgressor manifestus, verum in suspicionem quis trahatur, accusatores quoq; contumere eum non contendant, non ex friuola tamen delatione suspicionem alant, indultum sit levis suspecto diem indicere, purificationemq; iuramento firmatam exigere. Sin v suspectus vlla ratione purificationem recuset, vel in diem conditum non compareat, damni censetur illati reus, ac pacis perturbatoris pœnis prædictis afficietur: attamen debebit Elector, Princeps, Prælatus, Comes, Baro, Nobilis, ciuitas, alteri, ius, qui in Comitatu eius erunt, de conductu saluo providere usq; dum in tuto constitutur: & si litera, quibus dies indictus & conditus traditi illi forsitan nequeant, in duobus eas aut tribus locis, vbi negotia expediturus putabitur suffigi & publicari oportebit. Esti quidem contra mandatum hoc nostrum spoliatus quis, lesus, aliove damno affectus esset, tum ii, qui post recens commissum facinus admoniti hac de re erunt, aut alia ratione experientur, omni vi, studio & diligentia facinorosos insequantur, & tantquam sibi illatum esset damnum perquirant.

Suspectus de damno illato purgare se debet.

PACIS PERTVRBATORES DOMO non recipiendi.

Neq; vllus eiusmodi transgressores domo recipiat, alimentis & auxiliis in iis, quæ superioris sui sunt, quin nec inendi propriis iurisdictionibus præbeat, verum eos deinceps, serieq; de causis illorum ad cuiusq; etiam accusationem cognoscat, nec transgrediantur, quod vllam fiduciam, securitatem, privilegium tales præstent, cum horum omnium citra aduersæ partis consensum set receptot. nulla ratione capaces existant, nam nos in omnibus, quæ concessimus privilegiis, & securitatibus, pacis hanc perturbationem exceptam volumus.

DE PACIS PERTVRBATORVM tutela.

Si forsitan transgressores & pacis hi perturbatores, inuimine, auxilio, alijsq; adiumentis & fauore tanto preteritur, vt iusto aliquo exercitu, eog; in campum educendo opus foret; aut quispiam in generali hac pace comprehensus cuiuscumque status, dignitatis, & conditionis sit, Ecclesiasticus, vel Secularis, vel non comprehensus diffamatus, accusatus aut damno quopiam affectus fuerit, vel etiam transgressores hosce foueat & inuuet, id à levis, camerave iudiciis ad nos, nostrumve legatum, & annuum Electorum, Principum, Statuumq; imperij conuentum deferatur, vbi lesio absq; vlla mora suppetia decernentur, quod si contingat ob inuasionem aut impressionem quandam conuentum illum annuum expectari non posse, potestatem facimus tam camera nostra imperiali iudici nostro

Non recipiendi. Non esset transgressor, nisi esset receptot.

